



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Prooemivm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)



IO. BAPTISTÆ  
PORTÆ NEAPOLITA-  
NI, MAGIÆ NATVRALIS  
LIBER QVARTVS,

Oeconomia docetur, quæ parua familiaris re-  
iactura domesticas res parat, & par-  
tas conseruat.

PRO O E M I V M.



*X* animalibus, & plantis ad Oeco-  
nomiam transuecti sumus, ibi ce-  
nim animalia, & fructus inuisos,  
varios, & nostris vsibus accom-  
modos parauimus, nunc nil seuisse  
ac procreasse visi sumus, nisi qua  
immensa impensa seruimus, & produximus, hic qua  
ope seruari possunt, doceremus, & contra algenti, vel  
estuantis cæli iniurias inuictos redderemus, vt suo  
tempore promi possint. Impy & segnis hominis fo-  
ret, vt qua tanto labore, & diligentia parauerit, sa-  
tis incuriosè tabescere, & mori cogas: oportet igitur  
qualis in generandis solers, talis in conseruandis di-  
ligens videaris, Et paterfamilias, qui fructus condit,  
non paruam cibariorum partem per hyemem habe-  
bit: nam pro pulmentario cedunt. Inquit M. Var-  
ro, nemo enim fructus condit, nisi vt promat, & pro-  
mit,

mit, aut quod sint tuenda, aut vtenda, aut vendenda. Nos primo maiorum nostrorum adinuenta narrabimus, quorum studium & cura circa hac non segnīs, aut indiligens fuit, sed accurata diligentia, varijsq; modis multa adinuenierint, adinuenta fideliter posteritati memoria mandauerint. Post, quæ vera nouimus, declarabimus, passimque nostra intermiscendo, quæ ad rem potiora visa sunt, & quorum frequentius periculum fecimus. Adijciemus præterea nonnullas panis, vini, aceti, & olei confectioes, aliæque patrisam, non parui momenti, sed maximi emolumenti, vt minimis impensis rei familiari consulat: naturales semper causas intermittendo, vt ijs perfecte cognitis, facile quis inueniat, & faciat. Sed negotium auspicemur.

*Quomodo fructus in sua arbore seruari possint.*

C A P. I.

**V**T igitur à fructibus incipiamus, seruantur & hi, floresque vel in propria parente, vel ab ea collecti, dicemus primo, quomodo in sua quaque arbore seruari possint, narrabimusque quæ ab antiquioribus, mox quæ à nobis adinuenta, & experta fuerint. Maiores nostri quum fructus in arboribus perdurare vellent, eos primum trunco vel ramis alligabant, ne à tempestatibus concuterentur, affligerenturque. Præterea succum intercipient, qui eis maturitatem afferebat: nam sunt quidam fructus, qui vbi maturitatem conceperint, non immorantur in arbore: sed caduci delabuntur, etsi quoque nemo concusserit, sunt & qui diutius in arbore immaneat. Etiam vt à Solis & gelu iniurijs vindicarent, munimentis quibusdam eos tegebant, vel ne ab auibus depascerentur. Vnde si velimus